

vim inertiae, vires centripetas & centrifugas, gravitatem, & attractionem accurate considerabo, utilissimum sane argumentum quo cuncta prorsus naturae effecta continentur. Hinc doctrinae ordo postulat ut effectus ipsius inde oriundos, aequilibrum scilicet, variorumque motuum leges contemplemur. Ex his tandem veluti gradibus deducimus ad universales corporum proprietates, quae physicae generalis meta sunt ac terminus. Maxima sane voluptate afficientur adolescentium animi, quum tot admiranda acutissimorum hominum inventa cognoscent, quibus Physica maximum cepit incrementum, & quamplurima ad usus vitae excogitata. Haec autem tot tantaque commoda tutius declarare supervocaneum est; singulis enim capitibus sua adjungitur appendix, in qua uno veluti intuitu observare licebit non quidem utilitates omnes, sunt enim innumerabiles, sed aliquas tantum, atque etiam in rebus Theologicis, quem quidem usum vix suspicantur aliqui. Hanc vero tradendae Physicae rationem nemo, ut puto, improbahit; cum praeclearissimi studii amorem studiosae juventuti instillare possit, quantum unicuique pro vivendi instituto & ratione licet, sua enim sunt diversis vitae conditionibus officia, quibus deesse ne-

*Universalibus corporum proprietatibus
in Physica generali explicatis, jam pro-*
gre-